

LIBRARY OF CONGRESS



0 003 048 280 3



PA 4001

.H3 F8

Copy 1

DE

TIBERII CLAVDII ATTICI HERODIS VITA.

DISSE^RTAT^IO PHILOLOGICA

QVAM

SVM^MORVM IN PHILOSOPHIA HONORVM
AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS
IN VNIVERSITATE FRIDERICIA. GVILELMIA RHENANA
RITE OBTINENDORVM CAVSA

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE IX. MENSIS AVGVSTI ANNI CIOI^{CCCLXIV}

PVB^LICE DEFENDET SCR^IPTOR

GVSTAVVS FÜLLES

GVESTPHALVS.

51823

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

ARNIMIVS BALTZER DR. PHIL.
GVILELMVS BRAMBACH DR. PHIL.
ANTONIVS GIERS DR. PHIL.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI.

1864

PA4001
H3F8

LC Control Number



2003 354726

PATRI CARISSIMO

ONCEAHA, 1876.

Praefatio.

Herodis vitam qui conscripturus est magnopere impe-
ditur fontium paucitate. Nam praeter Philostratum, qui
in vita eius a se composita omnia confudit, ita ut res quas
tradat nisi diligentissime examinatae adhiberi nequeant,
Gellius et Suidas (s. v.) soli veterum sunt, qui nonnulla
memoriae prodiderunt. Quibus accedunt inscriptiones Tri-
opeae, quae tamen ad vitam Herodis describendam paene
nihil conferunt. Nuper vero primus hanc provinciam at-
tigit Burinius (Burigny), qui in annalium académiae fran-
cogallicae tomo XXX p. 1 q. s. arctissime Philostratum se-
cutus est. Unde narrationem eius, quae praeter miram
rerum confusionem Philostrato quoque propriam calculis
temporum prorsus neglectis erroribus scateat, utrum lectori
oblectando an veritati indagandae inservire velit, haud scias.
Post hunc qui sequuntur ad Herodis vitam describendam
minime se accinxerunt. Quorum Eichstaedtius ad Fabri-
cii biblioth. graec. tom. VI p. 4 eis tantum quae certis ve-
terum testimoniis comperta sunt collectis quam brevissi-
mam vitae illius imaginem composuit. Heysius denique
in diario antiquitatis a. 1839. p. 977 q. s. testimoniis diligenter
examinatis atque inter se comparatis singula quae ad He-

rodis vitam pertinent facta ad temporum rationes revocavit et tabulae instar ante oculos posuit. Quod ita perfecit, ut vix esse videatur, quem tam difficile negotium felicius credas transigere potuisse.

Verum tamen cum haud pauca supersint, quae rectius definita atque enarrata esse malis, equidem mihi eam prouinciam sumpsi lubenter confessus non raro in Heysii vestigiis mihi fuisse insistendum.

De Tiberii Claudii Attici Herodis vita.

Ordiendum erit de rhetoris nomine et origine. A plerisque enim scriptoribus simplici nomine dicitur Herodes, ut a Philostrato, qui pro more solito nusquam nomen gentile apponit, a Pausania perieg. passim, in inscriptionibus, quae Herodis nomine feruntur; vel Herodes Atticus cf. Iulius Cap. Ver. imp. c. 2, et Marc. Ant. c. 2, Gellius passim. Unus autem Cass. Dio 71, 35 eum Ἡρόδην τὸν Κλαύδιον nominat. Qua in re iure mireris, cur tam constanter praenomen et nomen gentilicium omissum sit, licet de Graecis saltem scriptoribus minor esse possit dubitatio, quibus id usitatum esset, ut omisso praenomine postpositoque nomine gentilicio homines plurium nominum designarent. Sed eius rei exempla crebriora sunt, quam quae hic enumerari ac percenseri possint.

Neque omnino plenum Herodis nomen nossemus, nisi titulis quibusdam integrum nobis conservatum esset¹⁾. Ex quibus plena eius appellatio emergit Tiberius Claudius Atticus Herodes.

Natus erat in pago Marathonio nobili in primis ac vetusto genere, quippe quod testantibus Philostrato (Vit. soph. II. 1. 346. ed. Didot.) et Suida (s. v. Ἡρόδης) ad Aeacidarum familiam referretur Cimonemque et Miltiadem proavos agnosceret. Auctor vero consecrationis simulacri Regillae a Ceryce, Mercurii filio, et Hersa, Cecropis filia,

1) Boeckh., C. I. Gr. No. 382, No. 383, No. 1883, No. 2978.

illud profectum facit. Utcunque est, certe stirps eius nobilitate, fortunis magnoque virorum de patria optime promeritorum numero insignis fuit. Cuius rei testis est memorabilis ille titulus, quem Athenis repertum Sponius Itin. II p. 183, Whelar. Itin. p. 388. Stuart. Antiq. Attic. I. c. I. tab. 3, Boeckh. C. I. Gr. No. 26, alii al. loc. dederunt. Ex qua inscriptione perspicuum est atavum Herodis nostri, qui idem Herodes vocabatur, templi, quod Athenienses et Caesaris et Augusti Octaviani benevolentia adiuti Minervae Ἀρχηγέτιδι dedicarent, exstruendi curam suscepisse legatumque a civibus ad principem missum id effecisse, ut donis Athenienses augerentur. Quae res archonte Nicia acta inter annos a. u. 742—754, Ol. 192, 1—194, 4, a. Chr. 12—1 referenda est. Neque minus eodem lapide docemur Euclem, illius filium, tunc apud Athenienses στρατηγοῦ ἐπὶ τοὺς ὄπλιτας²⁾ munere esse functum et per

2) Qui magistratus στρατηγοῦ ἐπὶ τοὺς ὄπλιτας vel ἐπὶ τῶν ὄπλων pacato ab imperatoribus terrarum orbe noniam militaris erat, sed in praefecturam annonae abierat. Aperte enim hoc Philostratus (I. 23. 526) declarat: ‘προῦστη δὲ (scil. Λολιανὸς) καὶ τοῦ Ἀθηναῖων δῆμου στρατηγός αὐτοῖς τὴν ἐπὶ τῶν ὄπλων. ἡ δὲ ἀρχὴ αὗτη πάλαι μὲν κατέλεγε τε καὶ ἐξῆγεν ἐς τὰ πολέμια, νῦν δὲ τροφῶν ἐπεμελεῖται καὶ σίτου ἀγορᾶς’. cf. Hermann. Lehrb. d. Griech. Staatsalterth. §. 176: 14 (ed. III). Si vero Philostratus (II. 1. 547) narrat Herodis maiores consulatu bis esse perfunctos, iure ambigi posse nobis videtur, hoc loco num ὑπάτου vocabulum vetere illa notione accipendum sit, qua viri tantum eo munere vere functi significantur. Etiamsi enim consulatu Graecos quoque homines imperatorum praesertim temporibus saepissime esse dignatos bene scio, tamen quia apud Philostratum sophistarum et rhetorum Graecorum permulti ὑπάτου adscribuntur vel ἀπὸ ὑπάτων genus ducere dicuntur, quos eam dignitatis amplitudinem nunquam obtinuisse constat: ὑπάτου significacionem apud hunc scriptorem ita accipiendam puto, ut ei quoque omnes, quorum in provincia vel in urbe aliqua summum fuerit imperium, hoc nomine appellentur, veluti Rufus, famosus ille Smyrnaeorum λογιστής (Phil. I. 19. 512) et Antipater, Bithyniae praefectus

quod tempus pater legatus Romae versatus esset, eius negotia procurasse. Avus rhetoris nostri Hipparchus, quem Suidas (s. v. ‘*Ηρόδης*’) perperam Plutarchum appellat, imperatore Vespasiano, cum cives suos nimium premeret rerumque Atheniensium potitus videretur, crimine maiestatis condemnatus est bonis eius in publicum addictis³⁾.

Quam paternarum fortunarum iacturam Atticus filius idemque Herodis pater resarsit cum Clodiae Secundae uxoris opulentia, tum ingenti quodam thesauro, quem forte a se effossum Nervae liberalitate retinuit. Quae beata fortunarum condicio eum quoque tulit fructum, ut Herodes clarissimorum eius aetatis virorum institutione non solum uti posset, sed solito etiam diutius uteretur.

Iam vero ut ad vitam rhetoris nostri accedamus, sententiae de anno eius natali admodum variae sunt. Heysius in commentatione supra laudata p. 989 repudiatis Olearii (Adnott. ad ed. Philostr.) et Visconti (Inscr. Triop. p. 95) opinionibus Herodem anno 101 natum esse voluit. Fam autem sententiam, quamquam ceteris, quotquot prolatae sunt, multo probabiliorem, aliqua tamen ex parte minus esse accuratam infra docebimus, ubi de mortis anno disputabimus.

Quod ad primam Herodis aetatem primaque studia at-

(ib. II. 24. 607). Neque igitur difficile animum induco, ut contendam Philostratum de illa annonae praefectura vel alio quo Atheniensium magistratu cogitasse. Quin etiam huic scriptori interdum ὑπατοι primores vel principes civitatis aut gentis alicuius esse videntur. Ita sane intellegendus est in Polemonis vita (I. 25. 530), de quo scribit: ‘ἡ μὲν δὴ τοῦ Πολέμωνος οἰκίαι πολλοὶ ὑπατοι καὶ ἔτι, πτλ.’, et in Rufi Perinthi (II. 17. 597): ‘πολλοὶ ὑπατοι τὸ ἐχείνου γένος πτλ.’

3) Miram huic Philostrati (II. 1. 547) narrationi commodat lumen memorabile illud Hadriani decretum a Boeckhio C. I. No. 355 editum, in quo legitur: ‘Οἱ τὸ ξιλιον γεωργοῦντες τὸ τοίτον καταφερτώσαν, ἡ τὸ ὅγδοον οἱ τὰ Ἰππάρχου χωρία τὰ ὑπὸ τοῦ φισκού πραθέντα κεκιημένοι. cf. Sueton. Vesp. c. 13.

tinet, valde dolendum est, quod per fontium paucitatem vel potius inopiam eam quaestionem qua par est diligentia persequi non licet. Quicquid igitur de hac vitae Herodeae parte enarrabitur, e singulis rerum temporumque vestigiis coniectando magis, quam e certis scriptorum testimoniis componendum erit. Attamen id saltem vix dubitari potest, quin primum litterarum tirocinium Athenis posuerit (Phil. II. 1. 564; I. 21. 521). Statim autem ab initio arti ex tempore dicendi, quam illa aetate admodum placuisse scimus, adeo operam dedit, ut Philostratus (I. 25, 536) non veritus sit de eo dicere: *ἥρα μὲν γὰρ τοῦ αὐτοσχεδιάζειν δὲ Ἡρώδης μᾶλλον ἡ τοῦ ἵπατός τε καὶ ὑπάτων δοκεῖν*⁴⁾. Ad quod studium strenue persequendum maximi fuit momenti, quod a patre Scopeliani, elegantissimi tunc et clarissimi dicendi magistri, disciplinae traditus est, qua, etsi puer, tanta artis admiratione afficiebatur ut, dimisis quiibus hucusque usus esset praceptoribus, huic uni totus se addiceret. Kayserus in annotationibus criticis, quas Heyssii commentationi (l. l. p. 995) adiecit, Scopelianum neque tum tempore Athenis esse commoratum, neque omnino Herodem instituisse contendit, quoniam ille sophista auctore Philostrato (I. 21. 521) aetate iam tum provectione fuerit, quam qui iter istud molestissimum suscipere potuerit. Nam cum eodem Philostrati loco traditum reperiatur pro Scopeliano, qui dum viguit Smyrnaeorum legatus esse solebat, Polemonem obiisse legationem, cumque idem scriptor (I. 25. 533) Traianum huic philosopho immunitatem concessisse ait: hoc beneficium ab imperatore eo tempore delatum esse vult, quo Romae legatus fuerit h. e. ante annum 117 (a. u. 871). Quae Kayseri argumentatio probabilis esset, si non falsissimam Heysii opinionem pro fundamento haberet arbitrati Herodem Scopeliani disciplina post sumptam demum togam virilem esse fructum h. e.

4) cf. Phil. I. 20. 515.

post duodevigesimum Herodis annum⁵⁾). Eam autem sententiam expressa Philostrati verba refellunt testantia puerum eum adhuc fuisse quattuordecim circiter annorum⁶⁾.

Civium numero adscriptus, cum ipse iam magistros sibi quaereret, prudenti iudicio elegit Theagenem Cnidium et Munatium Trallensem, cum quibus artem criticam tractavit. Exstitit autem illis temporibus criticorum genus, qui de partibus orationis deque huius artis rebus minutis agere designati ad eloquentiam proprius accederent. Nam praecepta artis rhetoricae tradere et in veterum oratorum et historicorum scriptis artem criticam exercere instituerunt (Phil. II. 1. 564), hoc solummodo a sophistis distincti, quod non declamitabant. E quibus Munatio in primis se applicuisse videtur, utpote qui postea Herodem, cum ordinandi liberarum civitatum status causa missus est, in Asiam comitaretur (Phil. I. 25. 536).

Ab his studiis, ut ita dicam, grammaticis usitato more ad philosophiam transgressus eodem animi ardore Secundum Atheniensem, nobilissimo genere nempe Eumolpidarum oriundum (C. I. No. 399), amplexus est, quem puerili plane errore Suidas (s. v.) cum C. Plinio Secundo confudit. Qualia huius sophistae principia fuerint, ex sententiis (*Iνώμας*) quibusdam appareat, in quibus praecepta ac disciplinam Neopythagoream exposuit. Cui disciplinae cum antiqua illa philosophia Pythagorea nihil prorsus commune erat, nisi quod idem sibi nomen vetustate consecratum arrogabat eisdemque terminis technicis utebatur⁷⁾). Iam vero ea tempestate e toto sophistarum Atheniensium grege sermonis elegantia et perspicuitate eruditionisque maxime

5) cf. Pollux. VIII. 105. Boeckh. de ephebia, in ind. lect. univ. Berol. aest. 1819.

6) cf. Phil. I. 21. 521: ‘Μειράχιον μὲν δὴ ἐτύγχανεν ὅν δέ Ηρόδης τότε καὶ ὑπὸ τῷ πατρὶ ἔτι, κτλ.

7) cf. Gell. I. 10. 8.

in philosophorum historia copia Calvisius Taurus in primis praezelluit. Neque igitur mirum, quod Herodes, quae erat eius auctoratum pia reverentia, non potuit, quin eum in studiis philosophiae Platonis Aristotelisque sibi ducem quaereret (Phil. II. 1. 564)⁸⁾. Cum elegantissimo hoc philosopho in illis studiis solito diutius defixus fuisse videtur. Etenim bonam partem librorum Platonis et Aristotelis accurate per vestigaverat, ita ut postea multos eorum locos ad verbum memoria teneret. Singulari studio imbiberat Platonis doctrinam, dum Aristotelis eos tantum libros, ni fallor, diligentius per tractavit, qui variam eruditionem continent.

Ceterorum, qui Herodem instituerunt, magistrorum disciplina eo demum tempore usus est, quo in Asia propter administrandas liberas civitates commorabatur. Cum enim Hadrianus susceptis primo in Graeciam adventu sacris Eleusiniis⁹⁾ anno a. u. 879, a. Chr. 125, iterum Athenas venisset, ‘ut opera, quae ibi cooperat, dedicaret’ (Spart. Hadr. c. 13), praefecturam illam ad Herodem, quippe viri divitissimi et illustrissimi filium detulit. Olearius (ad Phil. I. 25. 534) et qui cum eo facit Burinius (l. l. p. 14) hunc Herodis magistratum post consulatum eius (a. u. 897, a. Chr. 143) posuerunt. Sed eam opinionem aperte redarguunt Iulii Capitol. (Ant. Pio c. 2 et 3) verba perhibentis diu Antoninum ante annum a. u. 892, a. Chr. 138, quo anno ab Hadriano imperatore adoptatus est, omina imperii accepisse: alterum cum Campaniae veluti vir consularis praefectus esset, alterum postea inter proconsulatum suum Asiaticum. Cum vero Antoninus consul fuisse anno a. u. 875—876, a. Chr. 121—122, neque ex vetere illo senatus consulto ex que lege Octaviani Augusti (Cass. Dio. 40 c. 46 et 56; ib. 53 c. 14) proconsulatum accipere posset, nisi

8) cf. Gell. VII. 10. 1.

9) cf. Cass. Dio 69. 11.

quinto post consulatum anno: ab Hadriano 'inter quattuor consulares, quibus Italia committebatur, electus est' (Iul. Cap. Ant. Pio c. 2). Post hoc demum tempus proconsuli facto Asia provincia contigit. Iam vero Philostratus (II. 1. 555) Herodem ad statum liberarum Asiae civitatum ordinandum missum facit, quo tempore Antoninus Pius proconsulatum ibi gereret. Inde sequitur, ut Herodes ab anno 879 vel 880, a. Chr. 125 vel 126, in Asia commoratus sit.

Quando Athenas redierit, incertum est, cum vero διορθωτῆρες τῶν πόλεων magistratus essent extraordinarii¹⁰⁾, fortasse complures annos, usque ad annum, opinor, a. u. 883, a. Chr. 129, eo munere functus est. Neque vero dererant, qui Arrio Antonino, proconsuli tum, postea, mutato in T. Antoninum nomine, imperatori, impias eum manus intulisse dicerent. Verum eam incusationem tamquam ineptam atque confictam Philostratus (II. 1. 554) pluribus verbis refellit. Atque profecto satis multa sunt, quae Herodem tantum facinus commisisse negent, sed illud omnium maxime, quod Antoninus imperator factus Mareum Antoninum Luciumque Verum, filios adoptivos, educandos ei tradidit.

Praefecturam liberarum civitatum quam splendide sumptuoseque gesserit, balnearum Alexandriae sive Troade ab ipso exstructarum ingentes ruinae etiamnunc praedicanter¹¹⁾. Adiuvante enim Attico patre apud Hadrianum id effecit, ut tricies HSt ad aedificandas Troade balneas et aquae ductum, quibus ea urbs maxime indigebat, assignarentur. Quae pecuniae cum ad opera perficienda minime sufficerent, Herodes quod supra impensum erat de suo praestitit.

In Asia vero per ea tempora ars sophistica pariter at-

10) cf. Plin. epp. VIII. 24.

11) cf. Clarke: Travels in various countries. P. II. sect. I p. 152.

que Athenis et Romae floruit. Etenim ibi quoque nobilis iuventus, nec domi nec belli honeste occupata, quantum temporis non libidinibus concedebat, in audiendis sophistarum certaminibus et rixis consumebat adeo, ut universae saepe civitates pro uno viro aut contra eum acerrime in partes discederent¹²⁾. Itaque duo ea tempestate viri exstiterunt, qui non minus vitae severitatis ac gravitatis, quam orationis elegantiae et suavitatis laude ab aequalibus insignes putabantur: Antonius Polemo scilicet, Laodicensis, et Favorinus, Arelatensis. Quorum alter Smyrnae divitiis, facundia, magnificentia conspicuus Scopeliani, familiae Herodeae hospitis, gloriam exceperat, alter Hadriano imperatori maxime dilectus (Spart. Hadr. c. 16) Polemonis et Smyrnaeorum una cum Ephesiis aemulus exstitit (Phil. I. 8. 490). Neque igitur mirum, quod Herodes, quamquam et ipse declamationibus noniam ignobilis, ilico illis se applicuit discipulumque tradidit. Atque Polemonis quidem divinam sapientiam orationisque vim ita admiratus est, ut sive data sive quaesita occasione eius laudibus omni modo consuleret neque dubitaret eum ipsi Demostheni praeferre (Phil. I. 25. 539). Cuius admirationis piaeque Herodis in eum virum reverentiae testimonium luculentissimum eo quoque cognoscitur, quod Varo amico eidemque consule (a. u. 914. a. Chr. 160) quibusnam usus esset praceptoribus rogante: ‘τῷ δεῖνι μὲν καὶ τῷ δεῖνι, inquit, παιδευόμενος, Πολέμων δ' ἡδη παιδεύων’ (Phil. I. 25. 539).

Neque tamen omnino quoquam videtur longius esse usus, magisque familiariter, quam Favorino¹³⁾, sophista

12) cf. Phil. I. 9. 490.

13) Favorini Arelatensis aetas ab uno, quod quidem sciama Suida relata est. Etenim apud eum (s. v. Φαβωρῆνος) hoc enuntiatum reperitur: ‘γεγονὼς ἐπὶ Τραιανοῦ τοῦ Κατσαρος καὶ παρατείνας μέχρι τῶν Αδριανοῦ χρόνων τοῦ βασιλέως’.

Itaque is, qua fuit in rebus consarcinandis levitate, hunc phi-

tunc dissertissimo. Is enim, quamvis natione Gallus, lingua Graeculus esset, praeter Graecae facundiae palmam Romanae quoque eruditionis non mediocrem laudem tulit suffragante S. Caecilio Icto (Gell. XX. 1. 20) et tunc Ephesi postea Romae inter eruditos summa colebatur admiratione. Quem Herodes initio tamquam auditor praeceptorem sectatus est; at vero mox adeo se ei commendavit, ut patris fere loco eum haberet. Quanti enim eum fecerit, ingenue ipse profitetur, cum scribat: ‘πότε σε ἵδω καὶ πότε σον

losophum non ante annum a. u. 852, a. Chr. 98, genitum facit. Nisi forte vocabulo γένορώς non tempus designare voluit, quo natus fuerit Favorinus, sed quo maxime floruerit; id quod nonnunquam apud eum auctorem invenitur. Nam ex. gr. de Pittaco haec tradit (s. v.): γένορε κατὰ λίβ', ἀνεῖλε Μέλαγχον μύβ'; hunc autem Laërtius (I. 79) ol. 42 floruisse et ol. 53, 3 mortuum esse dicit. Itaque quoniam Herodes Favorini discipulus fuit filiique quodammodo pietate eum coleret (cf. Phil. I. 9. 489; II. 1. 564), iure meritoque etiam illo natu minor habendus est, id quod nobis ad constituendum eius diem natalem sane est alicuius momenti. Cum enim Herodem anno circiter 854 (a. Chr. 100) natum putemus atque de analogia statuamus praeceptorem decem saltem annis natu esse maiorem discipulo, vix a vero abducemur, si Favorini natales ad annum circiter 844, a. Chr. 90, referimus. Sed cum inde hoc tantummodo sequatur, ut non post statutum hoc tempus natus sit Favorinus, non eodem modo sequitur eum non iam ante illud tempus lucem vidisse.

Pariter quoque Suidae narrationem de Favorini obitu Gellii locus II. 26 aperte refutat. Inde enim conspicuum est eum philosophum nequaquam sub Hadriano, sed multo post eum imperante iam Antonino Pio vita decessisse. Quo loco cum Fronto vir consularis appelletur, Favorinum anno a. u. 893, a. Chr. 143, superstitem fuisse manifesto constat, quo anno Fronto consulatum bimestrem gessit (Niebuhr. in praef. ad Front. p. XXII). Sed ut Favorinum vitam etiam longius produxisse arbitremur, eiusdem Gellii loco XX. 1. 6 cogimur, ubi Favorinus cum S. Caecilio Icto, viro iuris Romani tum peritissimo, collocutus esse traditur ‘non multo ante annum sexcentesimum (sic ibi legendum est pro septingentis annis) post decemviros’ h. e. annum 152.

περιλείξω τὸ στόμα; (Phil. I. 9. 489). Eam autem virorum amicitiam postea quoque Romae arctissimam fuisse inde certe concluditur, quod Gellius (XIII. 25. 2) Herodem 'Favorini amicum consularem' appellat nomine non adposito. Itaque factum est, ut Favorinus moriturus Herodem et librorum, quotquot undique coemerat, et aedium, quas Romae possidebat, haeredem institueret.

Iam vero eo tempore Herodis parentes, Atticus scilicet pater et Clodia Secunda mater, qui apud filium Troade commorabantur, diem supremum obiisse videntur. Quae res ex eorum sarcophago inscriptione signato cognoscitur, quem Troade ad Tenedum insulam transvectum Tenedii nunc pro receptaculo aquae adhibent¹⁴⁾.

Herodes postquam in Asia tres circiter annos commoratus est Athenas reversus quo fuit flagranti artis suae amore ad studia rhetorica incubuit. Statim autem ab initio declamationum eleganti ubertate sermonisque veteris illius Attici quasi sanitate ingentem iuvenum nobilium multitudinem undique ad se allexit, ita ut Athenae per temporum decursum ad humilitatem paene redactae, pristinam studiorum humanitatis gloriam recuperasse viderentur.

Atqui civium suorum animos illico infestissimos sibi reddidit. Testamento enim ab Attico patre relichto praescriptum erat, ut singulis civibus singulae quotannis minae a filio penderentur. Qui cum cogi se ad ea munera aegre ferret, quoniam testamentum ex sententia atque auctoritate libertorum patris factum esset, ipsi cum Atheniensibus convenit, ut solidum quinis singulis civibus minis semel numeratis exsolveretur. Cum vero dies venisset civesque, ut pecuniam acciperent quam stipulati erant, ad argentaria accessissent, debita cum syngraphis quibusdam ipsius ma-

14) cf. Muratur. p. 1639 No. 14; Pocock. Inscr. antiq. p. 32; Chandler. Inscr. antiq. No. IV.

ioribus factis exaequavit, ita ut paullulum alius, aliis nihil acciperet, pars ne solveretur quidem debitum. Athenienses igitur legato se defraudatos rati ob istam iacturam adeo exacerbati sunt, ut testante Philostrato (II. 1. 549) etiam postea ne tum quidem ab odio desisterent, cum vel maximis eos beneficiis afficeret. Neque tamen ita multo post Panhelleniorum cura ipsi ab imperatore commissa est. Cum enim anno Ol. 227. 3, a. u. 884, a. Chr. 130, Iovis Olympii aedem per annos plus quingentos imperfectam et tum demum absolutam dedicaret Hadrianus¹⁵⁾ Panhelleniorumque ludos¹⁶⁾ in Iovis suique nominis honorem institueret, prae ceteris Herodem dignatus est, qui et novorum sacrorum sacerdos esset et curatoris ludorum munera susciperet¹⁷⁾. Ea autem Panhellenia ante Herodem nondum erant celebrata, id quod iam Muellerus Aeginet. p. 150 monuit, cui Boeckhius ad schol. Pind. Ol. VII. 151 suffragatur. Qua cum sententia insuper optime concinit testimonium lapidis a Boeckhio C. I. No. 342 editi. Etenim Atheniensium coloniae Hadriano in atrio Olympie ab ipso

15) cf. Cass. Dio. 69. 16; Phil. I. 25. 533; Paus. 1. 18.

16) Quod sacerdotium postea iure haereditario ad Atticum filium transiit. Cuius opinionis fundus nobis est praeclarus ille titulus, qui ab Ulrichsio in Actis acad. scient. Bavar. class. philos. philol. III. 2 p. 413—435 (XVIII) editus et a Car. Keilio (Syllog. inscript. Boeot. p. 128 q. s.) suppletus ita legitur:

*Tὸ ζωιὸν συνέδαιον τῶν Ἑλλήνων τῶν εἰς Πλατῆας
συμόντων Τί. Κλεύδιον Ἀττικὸν Μαραθώνον, τὸν
ἀρχιερέα τῶν Σεβαστῶν διὰ γένους ἀρετῆς ἔνεκεν
ῆς ἔχων διατελεῖ.*

Ad quod munus propter linguae suavitatem in primis aptus erat. Ita Philostratus (II. 20. 601) de *ἱεροφάντων εὐφωνίᾳ* et Xenophon (Hell. II. 4. 20) de Cleocrito quodam hierophanta loquitur, ut qui μάλιστας fuerit. cf. Arrian. ad Epictet. III. 21.

17) C. I. No. 1104, No. 1124, No. 1242, No. 1271, al., Osann. C. I. p. 307.

conditi statuas et columnas certatim posuerunt¹⁸⁾. Quarum una a Sebasteopolitanis missa (C. I. No. 342) ‘ἐν τῇ πρώτῃ Ὀλυμπίᾳ’ se statutam prodit; unde praeterea appetet ludos istos Panhelleniorum more temporibus illis haud infrequenti Graecis ansam dedisse incipiendae novae olympiadum seriei. Quae tamen aera, cum alibi nusquam memoratam reperiamus, aut non diu aut non saepe videtur adhibita fuisse. Recte eam rem Corsinus (diss. agon. I. 13) ad Ol. 227. 3, a. u. 884, a. Chr. 130, revocavit.

Iam vero quomodo Herodes Panhellenia ornaverit, scriptorum nemo tradidit, sed qua magnificentia quadriennio post archon eponymus factus Panathenaea maiora ediderit, a Philostrato (II. 1. 550) uberius describitur. Etenim cives talium Panhelleniorum curatori, qui tantopere vel reipublicae vel ipsorum laetitiae consuluisset, Panathenaeorum quoque curam honoris causa mandarunt. Tum Herodes alta voce pronunciavit proximis se sollemnibus¹⁹⁾ Athenienses et quotquot Graecorum sive athletarum venire vellent in stadio lapidibus candidis exornato exceptum (Phil. II. 1. 550). Itaque prope Athenas ad ulteriorem Ilissi ripam stadium illud Panathenaicum marmore ex lapicidinis Pentelicis²⁰⁾, quas Herodes possidebat, advecto intra quattuor annos exstructum est. Fuit autem adeo magnificentum atque superbum, ut Philostratus (II. 1. 550) de eo scribat exstitisse ‘ἔγον ὑπὲρ πάντα τὰ θαύματα. οὐδὲν

18) cf. Paus. I. 18; V. 12. C. I. No. 330—348, Spon. Itin. II. p. 40. 42. 44.

19) Nempe ea Ol. 228. 3, a. u. 878, a. Chr. 134, celebranda erant. Panathenaea enim maiora tertio cuiusque Olympiadis anno, exeunte mense Hecatombaene, agebantur; athlothetae autem per quadriennium munus suum obtinebant, a magnis Panathenacis ad magna Panathenaea. Itaque stadium illud Herodeum inde ab anno 884—888, a. Chr. 130—134 structum videmus.

20) Paus. I. 19: ‘τὸ πολὺ τῆς λιθοτομίας τῆς Πεντέλησιν ἐς τὴν οἰκοδομὴν ἀνηλώθη.

γὰρ θέατρον αὐτῷ ἀμιλᾶσθαι', et Pausanias (I. 19. 7): '*ἀκούσασι μὲν οὖν δύοις ἐπάγωγον, θαῦμα δ' ἴδοῦσιν*'. cf. Vitruv. archit. II. 8²¹⁾.

Attamen Athenienses legati etiamtum memores cavillari solebant stadio nomen recte inditum esse Panathenaico, quoniam eis exstruxisset Herodes pecuniis, quibus cuncti Athenienses defraudati essent.

Ab eo inde tempore totum fere terrarum orbem praeclarissimis liberalitatis suae paene nimis largae monumentis prope replevit, ita ut vix ulla esset alicius nominis urbs Graeciae, Asiae minoris, Italiae, quin memoriam eius operibus aedificiisque splendidissimis aut restauratis aut de fundamento structis, statuis, templis, balneis, aquarum ductibus, simulacris praedicaret. Neque iniuria Braduae, uxoris fratri eidemque accusatori suo, qui beneficium quodam iactabundus commemoravit, quod in unam Italiae civitatem contulisset respondere poterat: '*καγὼ πολλὰ τουταῖτα περὶ ἔμαυτοῦ διήσιν ἄν, εἰ ἐν ἀπάσῃ τῇ γῇ ἐκρινόμην*'. (Phil. II. 1. 155). Quae Herodis opera si hic percensere vellemus, rem nimis longam importune suscepisse videmur. Quapropter singula tantum et ea quidem suo quaque loco memorabimus, quae ad temporum rationes accuratius, quam computatione Heysiana factum est, constitutas alicuius sunt momenti.

Iam vero cum Herodes prae ceteris, qui in arte rhetorica celebres erant, excelleret famaque eius paullatim divulgata esset, Antoninus Pius, cum anno insequente postquam Hadriano successit Marcum Aurelium Luciumque Aelium Verum adoptasset, Herodem Romam arcessivit, ut una cum Pollione, Proculo, Caninio Celere, M. Corn. Frontone, viris tunc Romae clarissimis, pueros regios institue-

21) De magnificis huius operis reliquiis cf. Leakius topogr. Athen. p. 140, Stuart. antiqu. Att. II. p. 463, Leroy: Ruines des plus beaux monuments de la Grece. p. 36 q. s. Chandler. Inscr. ant. 114,

ret²²). Lucio praesertim Vero adeo se adiunxit, ut amici magis quam praceptoris loco haberetur. Quac familiaritas postea quoque minime imminuta, quin etiam ita firmata et aucta est, ut Herodes in villa sua Cephisia rusticans Lucium ad bellum Parthicum²³) profecturum iure hospitii exciperet. Quo factum est ut, quoniam maxima apud eum principem auctoritate valere videbatur, tempore insequente in suspicionem veniret, quasi consiliorum eius et insidiarum Marco paratarum particeps fuisse (Phil. II. 1, 560).

Praeter adulescentes regios alios quoque discipulos ad eloquentiam ab Herode esse institutos ex Aristocle apparet, quem Philostratus (II. 3. 567) tunc rhetoris nostri (*διατιθεμένον σχεδίους λόγους*) scholas frequentasse ait. Cum autem egregiam operam summumque amorem educandis regiis praesertim alumnis exhibere videretur, imperator gratiam pietati eius rettulit. Etenim anno a. u. 897, a. Chr. 143, consulatu bimestri ordinario ab eo ornatus est, qua de re satis constat ex sexcentis titulis cum Graecis tum Latinis, ex fastis, Philostrato, Gellio. A quo honore in republica maximo, cum dignitas senatoria non esset seiuncta, Herodes quoque, quamquam peregrinus, insignibus istis non caruit.

Verum iam inter consulatum vel brevi ante in matrimonium duxit Anniam Faustinam Regillam, mulierem Romanam cum magnis divitiis tum genere nobilissimo insignem. Ex qua duo ei filii duaeque filiae geniti sunt. Ita enim Marcellus aut quis alius inscriptionis Triopeae secundae auctor v. 15 tradit:

22) Iul. Capit. Marc. Ant. c. 2. Ver. c. 2.

23) Ad quod bellum suscipiendum cum Lucius anno 914, a. Chr. 160, proficiseretur, ob intemperantiam Canusii aegrotavit (cf. Iul. Capit. Marc. Ant. c. 8). Tum forte Herodes oppido illi aquae ductum, quo admodum indigebat, exstruendum curavit. cf. Phil. II. 1. 551.

Οῦνεκα ὁι παιδας μὲν ἀμύμονος ἐκ μεγάροιο
 Ἀρπνιαι Κλωθῶες ἀνηρείψαντο μέλαιναι
 Ἡμίσεας πλειόνων δοιώ δ' ἔτι παῖδε λιπέσθην
 Νηπιάχω, κτλ.

dum Philostratus ab hac narratione dissentiens tres tantum Herodis liberos commemorat, duas scilicet filias, Panathenaidem et Elpinicen, filiumque unicum Atticum, e quibus filias quidem praematura morte esse intereceptas, filium tamen superstitem reliquisse narrat. Ad expediendam eam difficultatem ex hac dissensione profectam viri docti, quoniam Philostratus Regillam praegravidam partuque appropinquantem vita excessisse perhibet, ita litem componere voluerunt, ut foetum illum, quem moriens in ventre gererbat Regilla, ab auctore inscriptionis inter liberos Herodi creptos numerari opinarentur. Verum tamen quomodo Herodes filium nondum in lucem editum tamquam erectum lugere potuit? Accedit, quod fides inscriptionis Luciani verbis mirum quantum stabilitur, quippe qui eo tempore Athenis commoratus in vita Demonactis c. 25 Herodem filii obitum nimio luctu prosequentem ab hoc philosopho vituperatum esse ait²⁴⁾.

Quonam anno Herodes Roma in patriam urbem reversus sit, neque a Philostrato neque ab alio quoquam scriptore traditum habemus. Neque tamen a veri similitudine abhorret, si anno circiter 902, a. Chr. 148, h. c. quinquennio post consulatum fasces eum proconsularēs accepisse Graeciamque provinciam sortitum esse contendimus. Id saltem constat ante annum 160, a. u. 914, Athenis eum esse

24) Mirum quod Heysius (l. l. p. 993 not. 9) eam Luciani narrationem ad ipsum Demonactem referri voluit, etsi non solum praecepta grammatica, verum etiam tota enunciati sententia impedian, quominus de Herode hic locus non accipiatur. Sunt autem Luciani verba haece: 'Ο δ' αὐτὸς (Ἀημῶνας) νιὸν πενθοῦντι (Ἡρώδῃ) καὶ ἐν σκότῳ ξαυτὸν καθεῖρξαντι προσελθὼν ἔλεγε . . . κτλ.

commoratum, quoniam Athenienses ad levandum Herodis luctum, quo Panathenaidis morte affectus ac paene extinctus erat, eam filiam in urbe sepeliendam diemque quo obiit ex numero dierum eximendum curaverunt (Phil. II. 1. 558). Heysius quidem (l. l. p. 990) hanc Herodis filiam obiisse putavit anno circiter 916, a. Chr. 162, quia Regillae mortem in annum demum 918, a. Chr. 164 rettulit. Praeeuntibus enim Salmasio ²⁵⁾, Viscontio ²⁶⁾, Fiorillo ²⁷⁾ vir ille sagacissimus in versu 23 consecrationis simulacri Regillae, qui ita legitur:

Αὐτὰρ ὁ (scil. βασιλεὺς) ἀστεροέντα περὶ σφυρὰ παιδὶ πέδιλα

δῶκεν ἔχειν κτλ.

βασιλέα, qui Atticum Herodis filium ad levandum insatiabilem patris luctum ex Regillae morte perceptum in senatum legit, Marcum Aurelium fuisse opinatur, ita ut Regillae dies supremus in huius demum principis imperium incidat. Verum iam circumspiciamus, num aliunde offerantur, quae ad tempus illud accuratius definiendum lucem afferat. Et en testem quo clarius argumentum ullum ex cogitari nequit, inscriptionem dieo in App. ad Marmor. Oxon. p. 302 No. XXVIII. 8 servatam: *τὸν ἐκ ταύτης παιδία εἰς τοὺς εὐπατρίδας ζεν Ρώμη ἐνέγραψεν Αὐτωνῖνος Αὐτοκράτωρ Εὐσέβης* ²⁸⁾.

Patet igitur Antoninum Pium etiam tum imperium tenuisse. qui cum primis iam anni a. u. 915, a. Chr. 161 diebus (nonis scilicet Martiis) e vita discesserit, vix in temeritatis crimen incurremus, si abiecta veterum inscriptionis illius interpretum opinione Regillam vitam vixdum ad

25) cf. Salmasius: II inscript. veterum Herodis Attici explicatio. p. 100 et 113.

26) Viscontius: Iscrizioni Greche Triopee. p. 78.

27) Fiorillus: Herodis Attici quae supersunt. p. 144.

28) cf. Jacobs. Antholog. Gr. IX. 392, W. A. Becker. Handb. d. Röm. Alterth. P. II. 3 p. 218.

annum a. u. 914, a. Chr. 160, produxisse contendimus. Cuius sententiae probabilitas eo insuper augetur, quod in consecratione simulacri Regillae (v. 16) narratur Regillae liberos superstites aetate adhuc fuisse teneriore, quam qui intellegere potuissent, quantam calamitatem matris morte acceptisset:

‘δοιὸ δ’ ἔτι παῖδε λιπέσθη
Νηπιάχω, ἀγνῶτε κακῶν, ἔτι πάμπαν ἀπύστω,

Οὐηρ σφιν τήλης κατὰ μητέρα πότυος ἔμαρψε, οὐλ.’

Quodsi de hac re recte statuimus, de tempore theatri ab Herode in Regillae honorem Athenis exstructi vix dubitari potest. Eam autem rem Heysius (l. l. p. 990) calculis, quos de Regillae obitus tempore minus recte instituisse supra disputavimus, seductus intra annos a. u. 919 et 921 (a. Chr. 165 et 167) factam esse perperam conclusit. Nam cum Philostratus (II. 1. 155) Herodem ab Appio Annio Attilio Bradua, Regillae fratre, occisae uxoris in ius vocatum esse perhibeat, cumque maxime probabile sit, eam accusationem statim vel saltem non diu post Regillae mortem esse instructam: vix statui poterit aedificium illud ad testandum luctum innocentiamque susceptum longo demum intermisso temporis spatio ab Herode esse perfectum. Quae si comparaveris, theatrum istud Atheniense optimo iure anno circiter a. u. 914 vel 915 (a. Chr. 160 vel 161) exstructum esse credes.

Iam vero eo revertamur, unde oratio profecta est, et de eis temporibus disseramus, quae Herodis redditum proxime secuta sunt. Verum tamen fontes, e quibus accuratior de eis notitia hauriri possit, tam parci tamque exiles sunt, ut hanc vitae partem ex indiciis hic illic apud Philostratum exstantibus coniectura assequi magis quam componere queamus. Hoc tamen certum est, Athenis reversum totum se cum litteris tum iuvenibus instituendis dedisse, qui mira eius facundia alliciti ex tota Graecia, quin etiam ex Asia atque Italia ad audiendum virum ac-

currerunt. Quod vero Burinius (l. l. p. 12) Herodem cathedram Athenis rhetoricae obtinuisse contendit, quomodo evinci possit, equidem non intellego, quoniam neque Philostratus neque alius quispiam scriptor huius rei mentionem fecit. Quin immo ad veritatem proprius accedere nobis videmur, si Herodem scholas tantummodo privatas habuisse statuimus. Vix enim cogitari potest virum tantis divitiis praeditum huius muneris labores molestiasque suscipere voluisse. Haud valde validum, inquies, argumentum. Neque sane pro valido aut valde firmo venditamus, sed coniecturae tantum vice illud proponimus, cum saltem nihil absurdii prae se ferat, ut illa Burini sententia (l. l.) Herodem a singulis discipulis pro institutione mercedem accepisse, quippe quae nec fundum habeat neque rationem. Quomodo vero artis suae praecepta docuerit, inde maxime manifestum fit, quod post scholas decem discipulos doctrinam provectiores dimissis ceteris retinebat et seorsim eis vacabat. Tum ad clepsydrum centenos fere versus singulis horis recitare solebat, ita ut nullis interpellatus plausibus uno tenore diceret auditoresque summo silentio dicta combiberent²⁹⁾). Eosdem discipulos assuefecerat, ut convivia et congressus alios animis laxandis datos eruditis colloquiis condirent. Itaque corpus epulando, animum confabulando oblectabant. Hi erant *οἱ ἀπὸ οὐλεψυδρίου* vel *οἱ διψῶντες* appellati, sive quod poculis crebro humescerent, sive quod publica praceptoris institutione non contenti privatam insuper siterent. Ex quo Herodis ludo ingens numerus principum artis rhetoricae exiit, quorum nomina, cum enumerare longum sit et a re proposita alienum, si qui desiderat, Philostratum et Gellium adeat³⁰⁾.

29) cf. Phil. II. 10. 586; II. 5. 573. In his igitur scholis poetas explicasse videtur eo fine, ut inde materiam ad *μελετὰς* sumeret.

30) Posset aliquis e nonnullis Gellii locis coniicere hunc quoque auctorem Herodis discipulum fuisse. Licet vero Herodem inter

Iam supra diximus Herodem ab Atilio Bradua, viro consulari, caedis Regillae esse postulatum, sed absolutum, quoniam ea criminatio falsa doloseque conficta erat. Verum tamen accusationes multo graviiores et periculosiores ei instructae sunt, quasi contempta imperatoris legumque auctoritate res novas moliretur civesque superbia atque crudelitate premeret. Philostratus quidem et post eum omnes viri docti, qui Herodem commemorant, de una tantum accusatione loquuntur, nempe quae apud imperatorem Sirmii commorantem anno a. a. 935, a. Chr. 171, instructa sit. Nihilo tamen setius ex compluribus M. Corn. Frontonis ad Marcum Aurelium Luciumque Verum epistolis liquide cognoscimus, Herodem una cum Attico filio admundum libidinoso a Demostrato³¹⁾ quodam multo prius iam reum esse factum, quod civibus et Graecis et Romanis

ingentes omnium clamores audierit (XIX. 12. 1), minime tamen dubito, quin non tam sectatus sit veluti discipulus, quam fortuito aliquotiens docenti auscultaverit. Saepissime enim Herodes in villa sua suburbana rusticatus, qua erat urbanitate, nobiles Romanos Athenis forte commorantes hospitio excipiebat auditoresque λόγοις ἐπιδειξιζοῖς delectabat; id quod Gellio quoque interdum contigit (Gell. I. 2. 1; IX. 2; XVIII. 10. 1). Certe numquam apud eum Herodis ita mentio fit, ut confidenter inde colligere possis eum ei cum illo intercessisse necessitudinem, qualis cum Favorino, Calvisio Tauro, Frontone, cett., quorum nomina tamquam praceptorum sancte commemorat.

31) Fronto ad Ant. imp. II. 8, ad Verum imp. IX ed. Niebuhr. plenius hunc Demonstratum Petilianum appellat. Secundum lapidem quendam a Boeckh. C. I. No. 438 editum in matrimonium duxerat Praxagorae filiam, qui cum ipso Herodi adversabatur. Unde suspicandum est principibus Atheniensium viris Demonstratum esse adnumerandum, cum aisitorum catalogi (C. I. 385) daduchorum munus familiae Praxagoreae haereditarium fuisse doceant. Philostratus (II. 1. 555, II. 2. 566) Demonstrati Graecas aliquot orationes contra Herodem habitas commemorat, quas adiuvante Theodoto sophista composuerat.

vim intulisset. Fronto autem, qui tunc Romae inter omnes eruditos eloquentiae civilis primas tulit, a celeberrimis iuris consultis adiutus, veluti ab Aelio Marciano, Capreolo, Villiano³²⁾, accusatoris partes in se receperat. Itaque Marcus imperator, ingenio quo erat mitissimo summaque in Herodem benevolentia, a Frontone per litteras petiit, 'ne quid inclemens rem acturus in Herodem diceret, cum non opus esset aequis et inquis spectaculum praebere' (ad Marc. Caes. III. 3. ed. Niebuhr). Atque profecto crima, quorum accusatus erat, gravissima fuerunt, cum Fronto (l. l.) aperte profiteatur, 'dicendum sibi esse de hominibus liberis crudeliter verberatis et spoliatis, uno vero etiam occiso, dicendum de filio impio et precum paternarum immemore, de saevitia et avaritia exprobranda carnificemque Herodem in hac causa esse constituendum'. Ut intercedente tantummodo ipso imperatore damnationem evitaret. Quae causa ante annum a. Chr. 169, a. u. 923, acta videtur, quo anno Lucius Verus Romam profecturus Altini Venetiae apoplexia correptus vita excessit³³⁾. Cum vero Fronto in scriptis suis, quae quidem aetatem tulerunt, neque Veri mortem nec primum bellum Marcomannicum commenoret, dubio obnoxium esse non potest, quin ante annum a. u. 920, a. Chr. 166, nempe quo anno primum illud bellum Marcomannicum gestum sit, diem supremum iam obierit. Unde id quoque consequitur, ut accusatio illa ante hoc tempus instructa sit. Multo longius tamen regrediamur oportebit, si narrationem Philostrateam accuratius percensemus. Is quidem pro rhetorica qua utitur scribendi ratione in di-

32) Huius Villiani causidici notitiam cum alibi nusquam reperiamus, nescio an cum Frontonis quibusdam editoribus scribendum sit Iulianus, ut intellegatur Antonius Iulianus rhetor illis temporibus haud ignobilis idemque A. Gellii praceptor.

33) cf. Fronto ad Ver. imp. VIII; Iul. Cap. Marc. c. 13 et 14, Ver. c. 9; Aurel. Vict. Epit. 16. 5.

stribuendis rebus, ut omnem omnino ita temporum quoque ordinem neglexit; sed tamen narrationi suae nonnumquam indicia quaedam atque vestigia quodammodo intertexuit, quae diligentius examinata inter seque collata ansam temporum accuratius definiendorum praebent. Itaque (II. 1. 555) enumeratis criminibus, quae Demostratus Herodi obiiciebat, ne verbo quidem Regillae mortis mentionem facit; quam calumniae materiam, nisi haec causa ante annum a. u. 914, a. Chr. 160, esset perpetrata, Demostratus certe non patermisisset.

Iam vero alteram quam habuit Herodes filiam, Elpinicen appellatam, pestilentia illa, opinor, absumpsit, quae anno imperii M. Aurelii et Lucii Veri sexto e Mesopotamia Syriaque profecta per omnes fere provincias propagata est et Athenis quoque ingentem hominum multitudinem extinxit. Quam rem Herodes apud Philostratum (II. 1. 561) significare videtur, cum conqueritur, quod ipsi morbus ille exitiosus pepercerit.

In tali rerum domesticarum clade Herodes deposita omni pristina animi constantia adeo se libertis suis eorumque familiis dedit, ut omnia ex istorum voluntate atque arbitrio faceret. Cum igitur et ipse crudelius ac superbius premeret cives Athenienses et libertis suis, ut premerent, permetteret: colludentibus Quinctilio Condiano Quinctilioque Maximo fratribus, qui anno a. u. 905, a. Chr. 151, consulatu functi tunc Graeciam tamquam proconsules administrabant, Demostratus, Praxagoras, Mamertini fratres adversarii contra eum consurrexerunt³⁴⁾). Neque ignari Marcum eo tempore quo Lucium suspectum habuit insidiarum et coniurationis adversus se paratae minime liberasse Herodem, Demostratum delegerunt, qui de eius tyrannide querelas ad imperatorem deferret. A quo crimine ut se defenderet Herodes, Sirmium proiectus est, ubi Marcus

34) cf. Phil. II. 1. 559.

bellum Marcomannicum secundum gesturus tum forte commorabatur³⁵⁾. Quo cum pervenisset, filiae Alcimedontis liberti, quas secum habuit, fulmine ictae perierunt, unde Herodes mente prorsus turbatus imperatorem maximis conviciis increpuit, quasi novae huius calamitatis auctor esset. Nihilo tamen minus princeps, etiamsi eis, quae de Atheniensibus nimis aspere tractatis audierat, ita commotus est, ut in lacrimas erumperet, multorum Herodis in se inque rempublicam beneficiorum haud immemor ipsum quidem Alcimedontemque, ut qui filiarum interitu satis calamitatum accepisset, impunitos dimisit, ceteros vero libertos poena affecit quam potuit mitissima.

Post has res in Pannonia gestas Herodes ad recuperandam valetudinem senectute admodum labefactatam Orienum se contulit, in oppidum quoddam Epiroticum. Cum vero ea urbs bello civili magnam partem incendio deleta esset et tunc³⁶⁾ adhuc ruinosa iaceret, aedificiis moenibusque magnificenter exstructis amoeniorem salubrioremque reddidit, ita ut alter eius loci conditor evaderet. Neque tamen diu ibi mansit, sed in pagos sibi carissimos Marathonem et Cephisiam remigravit, quo mox iuvenes eloquentiae eius desiderio perducti denuo frequentes confluxerunt.

Verum iam dissensio atque alienatio illa, quae inde ab accusatione Demostratea Herodi cum imperatore intercessit, intermisso demum aliquot annorum spatio brevi post Anniae Faustinae, Marci uxoris, mortem³⁷⁾ composita est. Etenim imperator per litteras benignissime scriptas Herodem certiorem fecit, cum initiari Cereris sacris in votis sibi esset, proximo se anno Athenas perventurum. Porro

35) cf. Tillemont. Hist. imp. Rom. II. p. 320. a. u. 925, a. Chr. 171.

36) Cass. Dio. 42. 12; ib. 41. 45; Caes. bell. civ. III. 8; III. 10.

37) a. u. 929, a. Chr. 175. cf. Iul. Cap. Marc. Ant. c. 26. Cass. Dio. 71. 29.

rogavit, ut ea sacra sibi ab Herode, quippe sacrorum Eleusiniorum antistite³⁸⁾, ostenderentur. Post istas Marci litteras ex hibernis anni 175 ad Herodem missas (Phil. II. 1. 562) testimonia de rhetoris nostri vita omnino desunt. Sin autem in re incerta coniecturam capere licet, non a vero aberrare nos arbitramur, si Herodem vitam vix ultra initium anni 176 produxisse statuimus. Heysius quidem (l. l. p. 985) ea est sententia, ut ad annum usque 177 superstitem eum fuisse existimet, quoniam Marcus, cum ex hibernis Romam profecturus Athenis commoraretur, ad rationes gymnasii de integro ordinandas illius opera atque consilio usus esset. Attamen ea opinio a veri similitudine quam longissime abest. Primum enim fundamentum, quo nititur falsissimum est, quippe cum beneficium scholarum de integro ordinatarum ad extremos imperatoris annos retulerit. Quod vero apud Dionem (l. l.) legitur rationes scholarum una cum susceptis ab imperatore sacris Eleusiniis esse mutatas, mirum esse nequit, quoniam huic scriptori tum demum occasio data est rerum a Marco Athenis gestarum mentionem faciendi. Ceterum ex eius historia, ut quae illa in primis parte in compendium redacta misereque truncata sit, certi quicquam vix concludi potest. Aegre enim adducimur, ut credamus Marcum, quippe virum ingenii impigerrimi studiisque deditissimi non primis iam imperii sui annis illas res ordinasse, id quod inde

38) Erat enim Cerycum familia inter conspicuas illas, quae in sacris et maxime in Eleusiniis essent principes, sicuti Eumolpidarum, Lycomidarum, Phytalidarum. In his igitur sacris Cerycum familia hoc sacerdotium antiquitus obtinebat haereditarium, ut ex ipsa praecones vel hieroceryces eligerentur. A quo privilegio familiam etiam nomen sibi ascivisse appareat. Eo autem munere Herodem quoque functum esse cum ex illa Marci epistola tum ex titulis quibusdam (Boeckh. C. I. No. 353 et No. 397) satis constat. Itaque Herodes ἱεροφάντης sacrorum Panhelleniorum ab imperatore electus, iure autem haereditatis ἱεροκήρυξ Eleusiniorum fuit.

quoque apparere nobis videtur, quod Philostratus (II. 2. 566) Theodotum Loliani discipulum, ut qui primus stipendum imperatoris decem millium adeptus esset, cathedram Atheniensem sophisticam obtinuisse ait, quo tempore cives cum Herode dissedissent h. e. circa annum 925, a. Chr. 171. Scimus autem eum virum ob solam famae celebritatem praeter morem ab imperatore ipso iuventuti Athenensi esse praefectum, cum alioquin magistrorum, in primis philosophorum, delectum soli Herodis iudicio permetteret³⁹⁾). Praeterea dubitandi de Herode illo tempore adhuc vivo ansam praebet, quod Philostratus (II. 10. 588) Hadrianum sophistarum cathedram tum iam tenuisse tradit, cum Marcus mysteriorum causa Athenas venisset. Quo tempore si Herodes superstes fuisse, vix dubium est, quin Philostratus, ut qui de eius vita sese prae ceteris studio et amore quodam exposuisse ipse ingenue profiteatur⁴⁰⁾, non oblitus esset commemorare, num Herodes imperatorem voti compotem fecisset eique sacra tradidisset.

Quae hucusque exposita sunt, qui ponderaverit, non poterit quin Herodem anno a. u. 854, a. Chr. 100, in lucem editum et ineunte iam anno a. u. 930, a. Chr. 176, mortuum esse censeat.

Hactenus de Herodis vita. Superest, ut de eius ingenio et arte pauca disseramus. Attamen valde dolemus, quod qua par est subtilitate et copia eum locum persequi per huius scriptoris angustias non licet. Itaque primum si quaerimus, de eius ingenio et arte non quid omnino existimandum sit, sed aequales quid existimaverint: iudicia quae de eis nobis tradita sunt ad unum omnia miris lau-

39) Phil. II. 2. 566: ἀλλὰ τοὺς μὲν προσέταξεν ὁ Μάρκος τῷ Ἡρώδῃ κρῖναι, τὸν δ' ἄγδρα τοῦτον ἀπὸ τῆς περὶ αὐτὸν δόξης αὐτὸς ἐπέκρινεν τοῖς νέοις, κτλ.

40) cf. Philostrati ad Antonium Gordianum, virum consularem epistola, quae duobus eius de vitis sophistarum libris praefixa est.

dibus eum extollunt. Etenim cum ceteris illius memoriae rhetoribus tanto opere praestaret, modo Ἐλλήνων γλώττη modo λόγων βασιλεὺς (Phil. II. 17. 598; II. 10, 586), modo γλώσσα Αιθηνέων (consecr. simulacrum Regillae v. 37), modo εἰς τῶν δέκα (Phil. II. 1. 564), modo εἰς ὡς Αημουσθένης (Phil. I. 21. 531) vocabatur. Quin etiam Gellius (XIX. 12. cf. I. 2) ‘Herodem Atticum, inquit, consularem virum, Athenis disserentem audivi Graeca oratione, in qua fere omnes memoriae nostrae universos gravitate atque copia et elegantia vocum longe praestitit’. Atque profecto magnae doctrinae, breviloquentiae, concinnitati, elegantiae addidisse et adiunxisse videtur aevi sui ubertatem, suavitatem, impetum verborum faciendorum promptamque et praesentem cum respondendi tum subito dicendi facultatem.

Verum tamen iam veritas ipsa clamat, ut lumini umbra, laudi accedat reprehensio. Neque enim nos pariter atque aequales et nuper Burinius admiratione eius ita capti sumus, ut omnibus nominibus praedicandus nobis videatur. Summo iure, opinor, Herodis doctrina eloquentia magnificientia liberalitas laudatur; longe secus existimandum est de ea qua in arte exercenda scriptorumque quos sequebatur delectu ille usus est ratione ac regula: in quo omnis reprehensionis cardo vertitur. Sed cum de hac re considerate diuidari nequeat, nisi quale omnino saeculi ingenium et indoles fuerit penitus perspiciatur, altius repetenda est oratio.

Iam supra diximus illo aevo, quicunque sibi videbantur uberioris esse ingenii, Antoninorum liberalitate alllicitos Romam convenisse. Cuius rei testis cum alia tum Gelli Noctes Atticae sunt. Quantum enim numerum hominum grammaticam vel rhetoricam vel philosophiam publice docentium solus ille perlustrat, quanto maiorem eorum, qui studiis humanitatis tamquam idiotae vacabant. Omnes autem communi studio unam laudem sectabantur, laudem dico eruditionis quam copiosissimae; proinde quasi, quam artes liberales iacturam fecissent, no-

λνμαθία sublevare aut certe obtegere possent. De hac insana aequalium *πολνμαθία* iam Seneca (de brev. vit. 13; epp. 88) conqueritur; at vero ex quo Hadrianus studia paene intermortua ad vitam revocavit, ulcus illud adeo propagatum est, ut litterae interno quasi morbo paullatim conficerentur. Quae saeculi eruditio quo latius patebat eo minus ad rerum primas causas et quasi fontes descendere solebat; ex omnibus artibus quasi flores colligebantur neque tam res ipsa quam quid de ea dictum unquam esset, quos errores grammatici forte commisissent, qui ioci viris illustribus de ea re excidissent, quaerebatur atque publice docebatur. Neque profecto quicquam cogitari potest tam abstrusum, tam remotum ab omni usu vitae, quin illa aetate inter eruditos venditores et emptores invenerit. Mirum igitur esse nequit, quod in tali studiorum condizione omnes fere eruditi suae provinciae immemores studiis ab arte sua alienissimis vacabant. Etenim rhetores non eloquentiam sed artem sophisticam, philosophi non res e philosophia petitas, sed nugatorias et ad grammaticam potius pertinentes tractabant; quid quod ne poetae quidem studiis grammaticis tunc vexatissimis deesse volebant, veluti Iulius Paulus et Annianus (Gell. XVI. 10; VI. 7). Quo saeculi errore Herodem quoque contagione quadam aliqua saltem ex parte tactum deprehendimus. Nam et ipse vagae istius *πολνμαθίας* comprobator et assecla fuit, cum omnes quos Gellius servavit eius sermones minime in severioris disciplinae finibus se contineant, sed liberius quasi evagentur et de rebus ab arte rhetorica perquam alienis inferantur, veluti de pseudophilosophis ‘barba et pallio’ tantum speciosis (Gell. IX. 2) deque stoicorum *ἀπαθεία*⁴¹). Attamen etiamsi non omni culpa liberari potest, aliquatenus certe excusandus est, cum eo perversitatis quo aequalium plerique numquam processerit. Intucamur enim paul-

41) cf. Wolf. Prolegg. ad orat. Demosth. adv. Leptin p. XXXI q. s.

lisper unum tantum ex illorum numero accuratius. Antonius igitur Julianus, vir negotiis et privatis et publicis perquam occupatus, minime quaerere et ex grammaticis audire neglegebatur, quae singulorum verborum esset origo, quae vis, qui usus apud scriptores⁴²⁾. Adde huc docta in circulis eruditorum colloquia, exquisitas inter cenis recitationes, quales Herodem quoque instituisse vidimus, crebros in librariis consessus: habes iam vitam hominis eruditii illa aetate florentis primis lineamentis adumbratam.

Pariter inepto isto saeculi prisorum atque oblitteratorum diu vocabulorum aucupio eum quoque affectum deprehendimus. Postquam enim summa rerum ad Hadrianum venit, antiquorum laudatores, qui antea singuli fuerant, contra ‘oratores novicios’, quoniam repudiata antiquissimorum scriptorum simplicitate novum dicendi genus sequerentur, summo studio pugnare coeperunt. Hic autem imperator quippe importunus pulchri venustique arbiter, eo denique delatus erat, ut testante Spartiano⁴³⁾ ‘genus dicendi vetustum amat’⁴³⁾, Ciceroni Catonem, Virgilio Ennium, Sallustio Coelium praeficeret. Quid igitur mirum, quod illico omnes fere eruditii in ea castra transfugerunt rati ‘naturalem eloquentiam et robur viris dignum in aliis nullis esse, quam in antiquis’ (Quint. inst. X. 1. 43). Quod communium vocum sobriique sermonis fastidium a Romanis etiam ad Graecos plerosque eruditos adeo propagatum erat, ut sermonem ad sanam puritatem Atticam revocare cupientes ὑπεραττικῶς loquerentur. Quorum unum Demonax (Luc. Dem. c. 26) gravissime increpat, quod ‘etiamsi iam nunc esset interrogatus, tamen tamquam sub Agamemnonte responderet’. Cui antiquorum studio Herodes quoque totus se dederat, id quod apparent cum ex apertis Philostrati verbis (II. 1. 564): προσέκειτο μὲν γὰρ πᾶσι τοῖς παλαιοῖς, τῷ δὲ Κριτίᾳ καὶ

42) Gell. VII. 6. 12; XIII. 18. 2.

43) Spart. Hadr. 16; ib. 14; cf. Aurel. Vict. epit. 14.

προσετετήμει, κτλ., tum ex pluribus titulis ab ipso conditis. In his enim non solum vocabula a sermone tum tempore usitato prorsus abhorrentia, verum etiam priscae litterarum conformatio Atticae robiginem affectabat. Cuius rei exemplum praebet inscriptio illa a Boeckhio C. I. No. 490 edita, qua Minervae aram dicat Herodes. Deam autem ibi contra Graecorum morem *Ἀθηναῖς* appellatione designavit, quam Athenienses antiquis tantum temporibus adhibuisse constat⁴⁴⁾). Huc quoque spectare videntur, quae Athenaeus III. p. 99 c. tradit: *Οἶδα δὲ καὶ Ἡρώδην τὸν Ἀττικὸν ἔγραφα ὀνομάζοντα τροχοπέδην, τὸ διαβαλλόμενον ξύλον διὰ τῶν τροχῶν, διε πατάτεις τέπους δ ὁρούμενος ἐπορεύετο, καί τοι Σιμαριστὸν ἐν τοῖς Συνωνύμοις ἐποχλέα τὸ ξύλον τοῦτο ἐπονομάσαντος.* Idem denique antiquitatis studium declarunt duo illi tituli ex prisco Graecorum praesertim Atheniensium more *κιονῆδόν* scripti (Boeckh. C. I. No. 26), quos spreta aevi sui et oratione et scriptura plane ad exemplum antiquitatis confinxit⁴⁵⁾).

Peregrimus quod propositum fuerat. Rem quantum absit, ut absolverimus, probe sentimus; nonnulla tamen nobis videamus attulisse, quae viris eruditis illas quaestiones aliquando retracturis pro materia et adminiculo esse possint.

44) cf. Etym. magn. s. v. *Ἀθηνᾶ*, schol. ad Arist. aves 828.

45) cf. Boeckh. Ind. lect. univ. Berol. hibern. 1821/22.

Vita scriptoris.

Natus sum in pago Lohe haud procul a Sigena sito VI. Non. Mart. anni CICCCCCXXXVII patre Carolo Antonio, matre Gertrude e gente Prêtre, quam morte mihi creptam valde lugeo. Fidei addictus sum catholicae. Gymnasio Bonnensi traditus per quinque annos magistrorum praestantissimorum disciplina ac benevolentia usus sum e quibus Schopeno, gymnasii directori, plurima me debere lubenter confiteor. Maturitatis testimonio munitus hanc almam litterarum universitatem adii, ubi scholis interfui philologicis virorum illustrissimorum Iahnii Reifferscheidtii Ritschelii Schopeni Welckeri, philosophicis Brandisii Knoodtii, historicis Loebellii, quibus viris omnibus gratias ago quam maximas. Prae ceteris autem colendus mihi est Fridericus Ritschelius, qui cum alia beneficia tum hoc in me contulit, quod assistentem bibliothecae secundum me reddidit.



0 003 048 280 3

Sententiae controversae.

- 1) Apud Sallust. Iug. c. 34 sic emendo: „atque aliis omnibus, quae ira fieri amant“.
 - 2) Apud Cic. pro Sest. c. 3 §. 6 sic scribendum est: „duobus his gravissimis antiquitate viris“.
 - 3) Soph. Trach. v. 267 ed. Dind. emendandus: „ἀνδρὸς ὁ νέλευθέρον“.
 - 4) Xenoph. Cyrop. III. 2. 20 pro νέμετν legendum est νεμεῖν.
 - 5) ib. IV. 51 pro ἔπεισε ponendum est ἔποιει vel ἔποιησε.
 - 6) Errant qui antiquitatis studiorum loco alia quaelibet studia in gymnasiis introducenda esse putant.
 - 7) Antiquissima gentis Romanae memoria a scriptoribus Graecis non inventa est, sed conformata et amplificata.
-

MAY 16, 1898.

LIBRARY OF CONGRESS



0 003 048 280 3